

Verbi a Joanne prædicata, de Jesu ac futura corporum resurrectione, de extremo judicio, toties a Christo inculcatis, et non solum a reliquis tribus Evangelistis sed et a Joanne, a Paulo, ac reliquis apostolis omnibus prædicatis (a).

Ad 4. D. Id est, prout vulgo putabatur, C. reipsa N. Nondum enim divina Christi missione comprobata, imprudenter omnino ejusmodi mysterium patefactum fuisset, cui nemo fidem adhibuisset. Adeo stolidi sunt rationalistæ, dum hæc effutunt! Sic præpostera fuisset, neque opportuna hujus rei manifestatio Jo. VII. 27.; non obscure tamen veritatem hanc innuit, dum v. 28. et seqq. divinam suam originem Judæis Christus inculcavit ostendendo reipsa eos nescivisse unde esset, ut illi fidenter asserebant. Dum vero Paulus ex semine David secundum carnem, Christum natum affirmat, perinde est ac si diceret ex stirpe David, et hoc necesse erat ut adimpleretur id quod Deus Patriarchis et Davidi promiserat, nasciturum Messiam ex eorum semine. Aliud porro est dicere de semine David, aliud vero de semine Josephi; Beata enim Virgo ex semine David orta est, cum vero ex ejus sanguine Spiritus Sancti virtute Christi corpus efformatum sit, hinc Christus filius David est, non autem Joseph: quod perpetuo innuit Apostolus toties repetens Christum factum ex muliere.

Ad 5. D. Id est cognati seu propinqui, C. fratres uterini N. Hujus rei vadem habemus totam antiquitatem (b), quod et usus loquendi biblicus ostendit (c). Mendacem porro jam tertio se prodit adversarius noster dum addit comite ipsa matre Christi propinquos eum ut insanum prehendere voluisse. Nam in primo loco, nempe Marci III. 21. de matre ne verbum quidem, sed erant fratres illi de quibus refert Joannes I. c. quod in Jesum non crederent; v. autem 51. « Et veniunt, inquit, mater ejus et fratres; et foris stantes miserunt ad eum vocantes eum ». Quod quidem est factum a primo omnino diversum (d).

Ad 6. D. Sensu materiali, C. spirituali N. Nam Angelus non opinionibus vulgi, sed spiritui seu vero sensui scripturarum effata sua accommodavit, qui sub verborum cortice latebat, prout Christus patefecit, et eventus ostendit, ac nos suo loco probavimus. Quid autem hoc commune habeat cum consilio adversarii, ostendendi Jesum Christum filium Josephi esse, non video: nisi fortasse ut proderet se non meliorem exegetam esse quam criticum.

(a) Cf. Tract. de Deo creat. n. 849. seqq.

(b) Cf. Maldon. in c. XII. evang. Matth. v. 46.

(c) Ibidem, innumeris prope allatis exemplis ostendit idem Auctor talem esse receptum in scripturis loquendi usum.

(d) Imo nec desunt qui contendat illud quod refert s. Marcus III. 21. « et cum audissent sui (gr. ἱ παρ' αὐτοῦ, id est, ii qui ab ipso erant seu qui ad eum pertinebant) exierunt tenere eum: dicebant enim: quoniam in furorem versus est », non de propinquis Christi esse intelligendum, sed accipiendum impersonaliter: fama erat, dicebant homines etc. Alii illud: dicebant referunt ad pharisæos. Cf. Rosenmüller ad h. l.

Ad 7. Neg. historix luce illas narrationes collustratas quidpiam efficere pro adversarii thesi. Quid enim si Cerinthus, Carpocrates, ebionitæ aliaque obscuræ, contemptæ et profligatæ ejusmodi pestes hæreticorum quos Joannes Evangelista perstringit (a), Christum filium Joseph autumarunt? Vere testes dignos se adversarius appellat. Non magis illorum perditorum hominum impietas officit veritati, ac officiant rationalistæ, dum falsitatis arguunt Evangelistas, Apostolos et Christum.

Tantum denique abest, ut vulgata opinio apud gentes de hominibus cælesti natura progenitis causæ obsit quam tuemur, ut rem nostram mirifice confirmet, quod ex dictis apertissime constat. Omnium enim ejusmodi opinionum originaria seu primigenia idea in vera religione reperitur, quam postea suis commentis gentes plus minus depravarunt, ut in aliis similibus casibus factum esse animadvertimus (b). Ex his patet quid sentiendum sit de conclusionibus istius rationalistæ, qui nempe se pessimum criticum, exegetam et historicum præbet sacramque scripturam ut mythographiam traducit; nec operæ pretium est diutius in hisce commentis refellendis immorari.

Inst. 1. Repugnat tamen Mariæ virginitati quod legitur Luc. II. 22. « Et postquam impleti sunt dies purgationis ejus... sicut scriptum est in lege Domini: quia omne masculinum adaperiens vulvam, Sanctum Domino vocabitur, » Quare 2. Apostolus Gal. IV. 4. dicit Christum factum ex muliere. Ergo.

R. Ad 1. N. Sola enim prudenti œconomia B. Virgo se purificationis legi ultro subjecit, quemadmodum et Christus subjecerat se legi circumcisionis, cum neuter ejusmodi legibus teneretur, quod ex admirabili conceptionis modo hucusque vindicato abunde constat. Recitans autem Evangelista verba legis, non insinuat Christum nativitate sua vere matris vulvam adaperuisse, sed solum fecunditatem Beatæ Virginis ortu suo ostendisse, prout phrasid illa primogeniti ei accommodata ex usu biblico accipitur, ac veteres exposuerunt (c).

Ad 2. D. Dicit Apostolus Christum factum ex muliere denotando sexum, C. Conditionem N. Nempe docet ibi Filium Dei qui est ab æterno, factum esse ex substantia mulieris ab eaque natum secundum humanitatem in tempore; propterea hoc ipso ostendit mulierem illam, ex cujus substantia factus est Christus secundum carnem, virginem fuisse, alioquin dixisset factum ex viri semine (d).

(a) Cf. Hieronym. I. c.

(b) Tract. de Deo creat. p. III. c. II. prop. II. diffie. et alibi.—Hæc scilicet fraus est rationalistarum, quod biblicas narrationes ad paganam mythologiam referant, ut ex hac illas exponant, cum e converso paganam mythologiam ad scripturam quæ illis anterior est, exigere deberent, ut constanter apologetæ religionis christianæ adversus philosophos disputantes sese gesserunt, eos adigentes ut faterentur nullum mythum esse in pagana religione, qui originem non habuerit ex sacris literis atque ex primæva traditione, neque aliud esse eorum mythos nisi corruptionem veritatis.

(c) Cf. Maldon. Comment. in Luc. II. 22. seqq.

(d) Cf. Bernard. a Piconio Tripl. expos. in h. l.

Reliquas difficultates, quæ peti solent vel ex voce *Primogeniti*, vel ex Matth. I. 25. ut pote ad præsentem thesim non spectantes, missas facimus.

### CAPUT III.

*De utriusque Christi naturæ hypostatica conjunctione.*

Christum verum Deum ac verum hominem esse, seu in Christo tum divinam tum humanam naturam integram atque perfectam iuisse ostendimus. Quia autem ratione ambe naturæ simul consistent atque conjunctæ sint inquirendum superest ad catholica veritatis normam.

Qui alterutram in Christo negant naturam hoc ipso omnem prorsus proprie dictam conjunctionem ejusmodi naturarum eliminant ac funditus mysterium Incarnationis evertunt. Verum non minus idem mysterium labefactant qui, utraque in Christo admissa natura, non nisi accidentalem aut moralem inter utramque naturam unionem interessisse contendunt. Doctrina igitur Ecclesiæ catholicæ est, hypostaticam seu personalem et substantialem in Christo intercedere utriusque naturæ conjunctionem, in qua sola integrum Incarnationis mysterium consistere potest, et in hoc conjunctionis modo nucleus, ut ita dicam, seu ratio formalis ejusdem mysterii continetur.

Quandoquidem vero ex germana unionis hypostaticæ notione maxime pendet dicendorum intelligentia, juverit ejusdem præmittere definitionem eamque per partes, majori qua fieri poterit perspicuitate, explanare et præcipua consecutaria deducere.

Est igitur unio sive unio hypostatica conjunctio illa, qua duæ naturæ divina et humana integræ, inconfusæ, impermixtæ ac suis proprietatibus et operationibus præditæ in se permanentes, subsistunt in una divini Verbi persona.

Ex hac porro definitione I. patet ejusmodi conjunctionem duarum naturarum factam esse, saltem immediate, in persona, qua fit ut una eademque sit amborum naturarum subsistentia et personalitas sive ratio suppositi, ac propterea hypostaticæ seu personalis unionis nomen sortita sit (a). II. Cum hypostasis seu persona divini Verbi jam extiterit ante unionem seu assumptionem humanæ naturæ, patet humanam naturam non concurrere tanquam partem ad constituendam personam, prout personæ nomen formaliter ut aiunt, accipitur (quæ simplicissima est), sed eatenus, peracta incarnatione, composita persona dicitur, quatenus totum suppositum quod est Christus ex utraque natura coalescit (b), atque idcirco prout materialiter persona sumitur. III. Cum non nisi ratione ejusdem subsistentiæ Divina et humana natura unum sint, patet subsistentiam sive personam Verbi non esse respectu humanitatis instar subjecti quod humanitatem sustentet velut accidens, sed instar termini, quatenus ejusmodi conjunctio in unam subsistentiam ac personam desinit (c). IV. Cum subsistentia humanæ Christi natu-

ræ eadem sit ac subsistentia Verbi, constat ejusmodi humanam naturam factam esse propriam personam Verbi, quæ, peracta Incarnatione, cœpit operari per hanc humanitatem et in assumpta humanitate eadem ratione ac ante Incarnationem, vel etiam ea peracta, distincte operata est vel operatur prout est principium quod, ut loquuntur scholæ, in divina natura; utraque porro natura in persona Verbi subsistens operatur seu exerit proprios actus realiter distinctos ut principium quo, ut vocant. Peracta enim Incarnatione, realiter semper inter se ab invicem distinctæ sunt ejusmodi naturæ. V. Cum igitur inter subsistentiam et naturam in concreto tam arcta conjunctio intercedat, ut non nisi ratione, seu cogitatione altera ab altera distinguatur, inde fit ut natura in sua existentia pendeat a subsistentia a qua terminatur, ac regitur. Hinc nec ante nec post Incarnationem vel uno temporis instanti supponi aut concipi potest humanitas Christi existens nisi in persona Verbi. Si enim seorsim hæc humanitas ab ejusmodi subsistentia aut persona spectetur, jam non esset amplius humanitas Christi, id est Verbi incarnati, sed mera abstractio, seu ens rationis (a). VI. Cum hæc conjunctio facta sit immediate in persona, ut diximus, non autem in naturis, sequitur has naturas realiter inter se distinguere, quarum unaquæque naturales suas proprietates retinet ac proprias operationes et actus uniuscujusque proprios; cum tamen ex dictis, natura non nisi ratione ac virtualiter distinguatur a persona, sequitur mediate factam esse conjunctionem inter naturas. Hinc hæc unio sub hoc respectu physica et substantialis pariter appellatur (b).

Atque hæc de unionis hypostaticæ notione innuisse ad rem nostram sufficit. Reliqua pro opportunitate attingemus. Interea ex dictis inferimus, unicam in Christo esse personam eamque divinam; hanc personam subsistentem in duabus naturis, seu Christum Deum-hominem esse Filium Dei naturalem; post duarum naturarum unionem duas integras, perfectas, atque impermixtas permansisse naturas inter se realiter distinctas; unamquamque propterea naturam suas conservare proprietates naturales suasque operationes. Singulis his veritatibus fidei nostræ vindicandis opera in hoc capite inpendenda nobis erit. Quod ut facilius assequamur, rem totam in suos articulos dispertiemur, in quibus singulorum hæreticorum commenta veritati hactenus expositæ adversantia refellemus.

### ARTICULUS I.

*De unica Christi persona.*

Nestorius Germanicæ Syriæ oppidulo ortus prius monachus antiochenus et presbyter, Theodori autem Mopsuesteni discipulus an. 428. episcopus constantinopolitanus renunciatus, vix in ea sede confirmatus est ut haustam a Theodoro hæresin disseminare cœperit. Primum vero vocem *Θεοτόκος* sive *Θείπαρα*

(a) Ib. lib. XII. c. IV. §. 6.

(b) Ib. l. III. c. IV. §. 47.

(a) Cf. Petav. de Incarn. l. III. c. IV. §. II. seqq.

(b) Ib. c. XII. §. 4. seq.

(c) Ibid. c. III. §. 16.

insectandam sibi proposuit tum per alios a se submissos (a), tum aperte per se ipsum, Beatam Virginem *Χριστοτόκον* sive *Christiparam* vocandam esse contendens, quippe quæ non Deum sed hominem peperisset. Ipse quippe contendebat inter divinam humanamque naturam in Christo non intercessisse nisi *moralem* seu habitudinis (*σχετικῶν*) et externam conjunctionem. Hinc duas personas in Christo profitebatur. Incarnationem non aliud esse affirmabat nisi *ἐνσκήνωσιν* (en-cē-in) *habitationem* Dei in homine velut in domicilio suo, vel in templo, quemadmodum in Moyse ac prophetis reliquis habitasse dicitur. Hinc Christum *θεοφόρον* (*theophoron*) seu *Deiferum* appellabat et possessorem divinitatis, non vere Deum, nec sustinebat dici *Deum bimestrem aut trimestrem*. Ex ejus enim sententia non antea Deus conjunctus est cum Christo, quam cum demum is formatus fuerit in utero virginis homo integer atque perfectus, atque ex ista conjunctione, quam *συνάψιν* (*synapsin*), seu *conjunctionem* vocat Christus homo nominari Deus cœpit, quemadmodum et Moyses Deus appellatus est.

Hoc latiori sensu non dubitavit Nestorius interdum Christum Deum appellare, ac B. Virginem *Deiparam*, et hac ratione, ut moris hæreticorum est sub larva catholica hæreticam impietatem tegere satagebat. Verum ei larvam detraxit s. Cyrillus episcopus alexandrinus qui erroribus Nestorii duodecim opposuit capitula, quæ vocavit anathematismos, quos ei subscribendos dedit si catholicus esse ac dici vellet. Tantum vero abfuit ut hæresiarcha eis subscriberet, ut totidem anathematismos ad Cyrillum miserit in quibus impium totius hæreseos suæ systema majori in lumine collocavit (b). Quare in concilio œcumenico ephesino an. 431. Nestorius depositus est ab episcopali sede et una cum hæresi sua damnatus (c); a Theodosio autem imperatore Antiochiam primum, deinde quadriennio post Oasim relegatus est, ubi ærumnis calamitatibusque confectus, vermibus exesa ejus lingua, supremum diem obiit (d).

Ex hac porro catholica ad speciem loquendi ratione, qua Nestorius usus identidem est sive ad invidiam innovationis declinandam, sive ad propria sensa magis tegenda factum est, ut audaciores nonnulli critici inter protestantes, totam illam nestorianam controversiam traduxerint ut puram logomachiam (e). Ast perperam. Si enim recte atque ortho-

(a) Ibid. lib. I. c. VII. § 4. seqq.

(b) Vid. epistola synod. S. Cyrilli ad Nestorium cum XII. anathematismis in actis Concil. Harduini tom. I. col. 1285. seqq. et ibid. col. 1298. seqq. anathematismi Nestorii oppositi anathematismis s. Cyrilli. Vid. etiam Petav. de Incarn. lib. VI. cap. XVII.

(c) Cf. Acta Concil. cit. col. 1422.

(d) Cf. Jo. Garnerii dissert. de hæresi et libris Nestorii Cf. præterea de Nestorio ejusque hæresi scriptores quos recenset Fabricius Bibliothecæ græc. t. IX. p. 286. seqq. et qui post eum scripsit, Joseph. Simonium Assemanum t. III. Bibl. orientalis p. II. Hic enim præ ceteris uberius et accuratius hæc est persecutus.

(e) Inter ceteros David Derodon calvinista in lib.

doxe Nestorius sentiebat, nec nisi in verbis erat discrepantia inter ipsum et Cyrillum et catholicos reliquos, quare exortis tot commotionibus sententiam suam catholicam apertis verbis numquam ipse patefecit? Si Nestorius unam personam reipsa fatebatur in Christo, eumque Deum simul et hominem admittebat, ac Beatam Virginem vere *Deiparam* esse ceusebat quare ejus discipuli nestoriani utrumque inficiati sunt atque adhuc inficiantur? Itaque mala prorsus fide egit Nestorius, ac merito anathemate percussus et depositus est. Hæ solæ observationes, quæ æque quadrant in eos omnes, quos iidem imprudentes critici, ut videbimus, ab hæresi aut erroneæ doctrinæ crimine vindicare satagunt, ut invidiam in Ecclesiam catholicam ejusque doctores conflent, abunde sufficient ad s. Cyrillum et Ecclesiam vindicandam, quin opus sit in ceteris persequendis immorari.

Interim ex iis quæ de hæresi nestorianæ indole ac natura exposuimus colligitur, duo a nobis esse præstanda, tum unicam scilicet vindicare in Christo personam eamque divinam, tum ostendere Beatam Virginem ex qua hæc unica divina persona secundum carnem in tempore edita est, vere vocandam et esse *Deiparam*; in his enim ceteræ veritates, quæ ad hoc argumentum spectant, includuntur atque ex iis pendent. Huc pariter referimus quæ adversus felicianos disputari solent de Christi *filiatione*, ut vocant, naturali, non autem adoptiva quam isti in Christo commenti sunt. Hic enim error tantam habet cum nestoriana hæresi necessitudinem ut ab ea separari nequeat, quod ex dicendis constabit. Sit igitur

PROPOSITIO I. — *Unica in Christo admittenda est eaque divina persona.*

Propositio hæc est de fide, quam tradit symbolum athenasianum dicens: « Non duo tamen, sed unus est Christus ». Qui quidem Christus, ut definitur in concilio œcumenico constantinopolitano II. can. VII. et VIII., est « Ex duabus naturis in una subsistentia, et in una Verbi persona (a) ».

Sic vero ejusdem veritatem adstruimus; ibi unica eaque divina persona agnoscitur ubi uni eidemque divino supposito attribuuntur, quæ in duabus naturis gesta sunt, ac de uno eodemque individuo eoque divino subsistente in duabus naturis constanter prædicantur: atqui talia tribuuntur Christo, et ita prædicantur de Christo.

Enim vero Apostolus Philipp. II. 6. seqq. ita de Christo scribit: « Qui cum in forma Dei esset non

*De supposito*, Elias Saurin pariter calv. in *Apologia contra Jurieum*, Albertinus in tract. de Eucharistia, Christ. Aug. Salig. in *Eutychnismo ante Eutychnem*, Mathurin Veysserius la Croze in *Hist. christianismi Indorum*, Paul. Ern. Jablonski in *Exercit. histor. eccles.*, Sam. Bisnagius in *Annal. politico-eccles. ad an. Chr. 450. seq.* Bayle in *Dict. hist. crit. art. Nestorius* a quibus non abhorruit Elias Dupin celebris Jansenista. Nouvelle Bibliothèque des auteurs ecclésiastiques, tom. III. part. II.

(a) Collat. VIII. cf. Acta Conc. Hard. tom. III. col. 198. vid. etiam ib. col. 195. can. V.

rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo ». Quibus verbis ille idem dicitur accepisse formam servi, qui erat in forma Dei, atque idem prædicatur æqualis Patri propter formam Dei, qui minor est Patre propter formam servi, ille idem, qui cum esset in forma Dei formam servi accepit, dicitur exinanitus: atqui hæc omnia de Christo prædicare ea ratione non potuisset Apostolus, si duplex in Christo esset persona, sive suppositum, ac Verbum non nisi moraliter et externe sese humanæ Christi personæ ac jam in se subsistenti junxisset, Paulus igitur unam dumtaxat eamque divinam personam in Christo prædicavit.

Id ipsum prædicavit Joannes iis verbis: « Verbum caro factum est »; neque enim Verbum factum est caro conversione divinitatis in carnem, quod repugnat, atque ex dicendis patebit; neque unione tantum morali et externa, quam licet in sanctis suis reperetur Deus, attamen dici nequit Deum factum esse aliquem sanctum; ergo Verbum caro factum est unione naturali, substantiali, intima, hypostatica; ideoque una est in Christo persona eaque divina.

Prædicant denique divinæ litteræ, ubicumque unum eundemque declarant esse Filium Dei et Filium hominis, velut cum Dominum gloriæ crucifixum memorant (I. Cor. 2. 8.), Auctorem vitæ interfectum (Act. III. 15.), Deum ecclesiam proprio sanguine sibi acquisivisse (ib. XX. 28.), Filium hominis existentem antequam Abraham esset (Jo. VIII. 58.), Filium Dei factum ex muliere (Gal. IV. 4.), atque item Filium hominis existentem in cælo dum loqueretur in terris (Jo. III. 13.). Ibi enim unica adstruitur persona, ubi unum idemque individuum Deus et homo dicitur, et ubi uni eidemque tribuuntur ea, quæ sunt Dei et hominis, quemadmodum in allatis aliisque divinarum scripturarum oraculis tributa esse luce clarius apparet. Ergo.

Huc accedunt fidei nostræ symbola, apostolicum nempe, nicænum, et constantinopolitanum, in quibus constanter unus idemque exhibetur Christus, qui Filius Patris, Deus de Deo, descendisse de cælo, incarnatus et homo factus dicitur in utero B. Virginis, passus et crucifixus. Unus autem idemque non est ratione naturæ, ut ostendimus, ergo unus idemque est ratione suppositi, subsistentiæ et personæ.

Neque alia unquam fuit doctrina Patrum sive græcorum sive latinorum, quorum longam seriem profert Petavius (a); nos unum aut alterum proferemus. S. Ignatius ep. ad Ephes., cap. VII. « Unus, inquit, medicus est, carnalis et spiritualis, genitus et ingenitus, (seu factus et non factus), in carne genitus Deus... et ex Maria et ex Deo, primo passibilis et tunc impassibilis Dominus Christus noster » (b); et postea: « In uno Jesu Christo secundum carnem ex genere

(a) Lit. III. C. XI.

(b) Apud Galland. Bibl. PP. T. I. p. 266.

David, Filio hominis et Filio Dei » (a). Ergo ex Ignatio unus idemque est Jesus Christus non factus secundum naturam divinam, factus secundum carnem, seu naturam humanam, unus idemque pro diversa natura passibilis atque impassibilis, Filius Dei et Filius hominis, ex Deo et Maria genitus. Nec minus luculenta sunt quæ pro catholico dogmate scripsit s. Augustinus in Enchiridio ante exortam nestorianam hæresim (b) c. XXXV. « Christus Jesus Dei Filius, est et Deus et homo. Deus ante omnia secula, homo in nostro seculo. Deus, quia Dei Verbum, Deus enim erat Verbum: homo autem, quia in unitate personæ accessit Verbo anima rationalis et caro ». Et iterum ibid. concludit: « Unus Dei Filius, idemque hominis Filius; unus hominis Filius, idemque Dei Filius: non duo Filii Dei Deus et homo, sed unus Dei Filius: Deus sine initio, homo a certo initio, Dominus noster Jesus Christus ».

Ratio demum theologica id ipsum evincit. Posita enim quacumque morali unione etsi in summo gradu, jam non unus sed duplex Christus esset, a quo abhorrent aures christianæ cum totum labefactaretur Incarnationis mysterium, ac everteretur redemptionis œconomia, neque amplius de uno eodemque prædicari possent actiones, quæ ad duo distincta supposita spectarent in hypothesi nestoriana, prout in universa scriptura et traditione fit; actum præterea esset de Christi divinitate (c).

#### DIFFICULTATES.

I. Obj. 1. Quoties scripturæ generationem Christi ex B. V. vel Christi mortem commemorant, nusquam Deum appellant, sed aut *Christum* nominant aut *Jesum* aut *Dominum*. Ergo eadem non est persona Christi hominis et Verbi Dei. 2. Joannes præterea I. 14. tradit Christum *habitasse* in carne, et II. 19. Christum ipsum 3. corpus suum seu humanitatem vocasse *templum*; item Apostolus Hebr. VIII. 2. et IX. 11. eandem Christi humanitatem dicit *tabernaculum*, Philipp. vero II. 7. *habitum*; jam vero nulla personalis et intima unio intercedit inter templum, tabernaculum et habitantem in eis, inter habitum seu vestimentum et eum, qui eo induitur. Moralis igitur et externa est unio, quæ inter Deum et hominem in Christo intercessit, quæ in *voluntatum* consensione et gratia consistit, 4. prout declarat ipsemet Christus Jo. VIII. 29. dicens: « Qui me misit mecum est, et non reliquit me solum, quia ego, quæ placita sunt ei, facio semper ». 5. Quare Christus in sacris litteris modo hominis, modo Dei Filius dicitur. Non ergo unus filius neque una persona.

R. Ad. 1. N. Paulus enim Gal. IV. 4. de Christi humana generatione loquens ait: « Misit Deus Filium suum factum ex muliere » ac rursus Philipp. II. Christum dicit in *forma Dei fuisse et æqualem Deo*,

(a) Ibid. c. XX., p. 270.

(b) Nam hic liber an. 421. aut paulo post conscriptus est, hæresis autem nestoriana exorta est an. 432.

(c) Cf. s. Thom. cont. gent. I. IV. c. XXXIV.

et Act. XX. 28. affirmat, Deum acquisivisse Ecclesiam sanguine suo (a).

Ad 2. N. Sed Verbum carnem factum, in nobis, id est, inter homines habitasse affirmat, quo solo nestoriana evertitur impietas.

Ad 3. D. Christi humanitas, seu potius Christi corpus vocatum fuit templum, tabernaculum, habitus improprie, seu sensu figurato, C. proprie N. Alioquin cum et corpus nostrum ab Apostolo Paulo II. Cor. V. 1. seqq. domus, habitatio et tabernaculum vocetur, prout etiam vocatur ab Apostolo Petro II. I. 15., sequeretur inter animam et corpus nostrum non intercedere nisi moralem conjunctionem; eo magis quod ita fuerit nuncupatum Christi corpus relate ad animam, non autem ad ejus divinitatem uti ex contextu apparet. Apostolus autem Philipp. II. tantum significat Christum externa specie purum hominem apparuisse, etsi Deus pariter esset, et hinc rursus labefactatur nestorianus error.

Ad 4. N. Nec enim particula quia hic causalis est, sed signum exprimit et effectum missionis suae, ac si diceret: ex hoc poteritis cognoscere divinam missionem meam, quia Ego quae placita sunt ei facio semper, prout clarius v. 42. exponit dicens: « Ego ex Deo processi et veni (b) ».

Ad 5. D. Tanquam unum idemque suppositum, C. diversum N.

II Obj. Sancti ecclesiae patres eadem qua Nestorius ratione de Christo et Incarnatione locuti sunt. Nam 1. quidam Deum assumpsisse hominem affirmant, ut s. Ambrosius (c) et s. Augustinus (d) qui praeterea Enchir. c. XXXV. dicit Christum « esse aliud propter Verbum, et aliud propter hominem »; 2. nonnulli Christum dixere hominem Deiferum ut s. Basilius passim (e); alii vocarunt hominem dominicum, ut s. Athanasius (f), s. Epiphanius (g), s. Augustinus (h); 3. alii denique Christi humanitatem aut organum, aut instrumentum, templum aut vestem divinitatis dixerunt, imo et sponsam (i). 4. Sed inter ceteros eminent s. Jo. Chrysostomus, qui homil. III. in cap. I. epist. ad Hebr. n. 1. exponens verba Psalmi XLIV. relata ab Apostolo: « Propterea unxit te Deus, Deus tuus » scribit: « Hic (Apostolus) et Judaeos, et Pauli samosatensis assecras, et arianos, Marcellumque, et Sabelium feriit et Marcionem. Quomodo? Judaeis quidem

(a) Cf. etiam Rom. I. 3. Jo. III. 16. (b) Cf. Maldonatum in h. l. (c) Lib. V. de Fide c. VIII. n. 108. ed. maur. tom. II. (d) Lib. XI. de Civ. c. II. (e) Lib. de Sp. S. c. V. et in Ps. LXI. n. 4. in Ps. XLV. in Ps. LIX. hom. XXV. de Nativ. etc. Quare Theodoretus Cyrillum incusat, quod anathemate feriendos existimaverit dicentes Christum θεοφύρον άνθρωπον, quum tamen a plurimis patribus, maxime vero a M. Basilio eam vocem usurpatam noverimus. (apud Cyrill. tom. VI. p. 220. in defens. anath. V.) (f) Tom. I. p. 594. D. (g) In Ancorato §. 95. (h) Lib. LXXXIII. QQ. Q. XXXVI. (i) Ita s. Athanas. lib. de Incarn. p. 70. C. et

ostendens unum esse duo (a) et Deum et hominem... adversus Marcellum et alios quod sint duae personae divisae per hypostasim. Adversus marcionitas autem, quod divinitas non ungetur, sed humanitas (b). Ergo tum patres reliqui, tum praesertim Chrysostomus duas agnoverunt in Christo personas.

R. D. A. At sensu longe diverso, C. eodem quo Nestorius N. Nondum enim exorta nestoriana haeresi, liberius quandoque patres loquebantur, praesertim cum de oeconomia potius mysterii, quam de mysterii theologia agebatur. Verumtamen errore detecto cautiore fuerant in delectu verborum, ut in epistola ad Valerianum scribebat s. Cyrillus. Ceterum ab illis patribus diverso plane sensu usurpata interdum vocabula fuisse ab eo, quem postea Nestorius protulit, diversa in utrisque adjuncta, contextus ac fidei professio omnino declarant.

Sic igitur distinguendum: 1. Asserunt Deum assumpsisse hominem, id est, humanitatem, C. personam seu individuum humanum N. Qua significatione tum ecclesiae patres ac primi de schola theologi Anselmus et Hugo Victorinus, tum ecclesia ipsa in suis precibus, illa loquendi ratione uti sunt absque ulla labis nestorianae suspitione, concretum pro abstracto usurpantes (c). Dum vero s. Augustinus asserit Christum esse aliud propter Verbum, aliud propter hominem, de natura id affirmat, non de persona; alioquin dixisset alium et alium, atque in eodem capite conceptis verbis unam Filii Dei et Filii hominis personam, et unum Filium esse non affirmasset (d).

2. Alii Christum dixerunt hominem Deiferum, dominicum aut etiam deificatum ratione hypostatici nexus inter utramque naturam, C. ratione moralis unionis inter utramque personam N. Sic enim explicant has voces s. Maximus martyr et Theodoretus ipse (e); minus tamen castigatae ejusmodi locutiones sunt, cum Christus non praecise Deifer sed Deus, neque Dominicalibi; Euseb. Caesar. I. IV. Demonstr. c. XIII. p. 107. Epiphanius. Har. LIX. §. 41. p. 765. Cyrillus alex. Dial. de incarn. tom. V. p. 692. C. al. Vestem vocarunt s. Cyrillus. ep. II. ad Success. p. 142. A. Fulgentius vocavit humanam naturam trabeam serm. de s. Stephano; sponsam vocavit s. Augustinus tract. VIII. in Jo. horum omnium aliorumque ss. patrum in hanc rem testimonia exhibet Petavius de Incarn. I. VII. capp. X. XI. XII. XIII.

(a) Haec verba, ὁὗς τὸν αὐτὸν θεὸν καὶ θεὸν καὶ ἄνθρωπον a Mutiano scholastico interprete sic vertuntur « duas personas et unum Deum. » (b) Opp. edit. Maur. t. XII. (c) Cf. Petav. lib. IV. c. XII. §. 6. 7. (d) Quo spectat illud monitum Vincentii Lirinensis « Quomodo in Trinitate alius atque alius, non aliud atque aliud? Quia scilicet alia est persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti: sed tamen Patris, et Filii, et Sp. Sancti non alia, et alia, sed una eademque natura. Quomodo in Salvatore aliud atque aliud, non alius atque alius? quia videlicet altera substantia divinitatis, altera humanitatis; sed tamen Deitas et humanitas non alter, atque alter, sed unus idemque Christus, unus idemque Filius Dei, et unius ejusdemque Christi et Filii Dei una eademque persona. » (Common. cap. XIII.) (e) Eo tantum sensu de Christo ejusmodi Deiferi vox usurpari potest, quatenus caro Christi, seu po-

cus sed Dominus sit, quod ipse advertit s. Augustinus se corrigens (a).

3. Alii Christi humanitatem organum, instrumentum, templum dixerunt divinitatis cum Verbo iis utente et in iis habitante atque hypostatice conjuncto, C. secus N. Nempe eo sensu quo manus et brachium dicitur hominis organum et instrumentum, corpus vero animi tabernaculum. Hinc neque Cyrillus ipse instrumenti vocabulum repudiabat (b). Vestis autem et indumenti, imo et sponsae voces adhibita sunt ad significandam utriusque naturae distinctionem et proprietates (c).

4. Nec magis nestorianae haeresi favet s. Jo. Chrysostomus, sive dum asserit unum esse duo, quod de duplici Christi natura apertissime usurpat dicens et Deum et hominem; sive dum ait: quod sint duae personae divisae per hypostasim. Loquitur enim hic de duabus personis divinis, Patre nempe et Filio, qui distinguuntur per hypostasim, seu personalitatem uniuscujusque propriam, prout ejus scopus exigit. Sibi enim in animo proposuerat evincere, sabelianos illis verbis refelli qui distinctionem personarum in Deo auferebant. Hunc autem finem haud profecto assecutus esset, si de distinctione inter personam Christi divinam et humanam ejusmodi dictum usurpasset. Atque hinc factum est ut neque Nestorius neque nestorianus aliquis unquam ad Chrysostomi patrocinium confugerit, imo et a Cyrillo et Coelestino papa agentibus adversus nestorianos Chrysostomi orthodoxia summopere commendetur (d).

tius humanitas, Deum ut suum habet ac proprium, hoc est intime ac substantive conjunctum, et unum eundemque secum factum. Cf. Maximum M. in schol. ad. c. VII. Dionysii De Coelesti hierar. Theodoret. in Confut. Anath. V. neque omittendum, s. Basilius in lib. de Sp. S. l. c. n. 12. et in Ps. L. minime vocasse Christum hominem Deiferum; sed solum ab ipso Christi caro vocata fuit tum II. c. tit. tum hom. in ps. XXXIX. et Comment. in cap. II. Isai. caro Deifera. Hinc merito doctus P. Fronto Duecus observat Theodoretum graviter hallucinatum fuisse in reprehensione anathematismi quinti ubi ait a Basilio Christum vocatum esse θεοφύρον ἄνθρωπον. Non enim parum interest inter hominem deiferum et carnem deiferam.

(a) En ipsius verba ex lib. I. Retract. c. XIX. n. 8. « Sed non video utrum recte dicatur homo dominicus, qui est mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus, cum sit utique Dominus: Dominicus autem homo quis in ejus sancta familia non potest dici? et hoc quidem ut dicerem, apud quosdam legi tractatores catholicos divinatorum eloquiorum. Sed ubique hoc dixi, dixisse me nollem; postea quippe vidi non esse dicendum, quamvis nonnulla possit ratione defendi. » (b) L. cit. (c) Cf. Pet. I. VII. c. XIII. §. 5. seqq. (d) S. Cyrillus in ep. ad Clerum constantinopolitanum: « Nomquid, inquit, qui illum (Nestorium) antecesserunt, doctrinae Fidei operam non dederunt? Numquid eloquentior est Joanne? etc. » opp. ed. Par. 1658. t. V. P. II. p. 55. S. Coelestinus ep. XIV. pariter ad Clerum et populum constantinopolitanum: « Ut a recentioribus, scribit, inchoemus, quid non animis vestris eruditio sanctae memoriae episcopi Joannis infudit, cujus sermo adstruens catholicam fidem toto orbe diffusus est? » Apud Constant. Ep. RR. PP. t. I. p. 1154.

Sed neque necesse est ut cum nonnullis suspicemur textum hunc s. Jo. Chrysost. fuisse corruptum. De hoc s. Jo. Chrysostomi textu duae prostant dissertatio-

III. Obj. 1. Naturam inter atque personam vel nulla prorsus vel metaphorica tantum distinctio intercedit; quae ex diversis atque in infinitum variantibus philosophorum notionibus pendet. Quis autem notionibus tam ambiguis, tam variis, tam inter se oppositis innoxium dogma constituat? 2. Eo vel magis quod nullum ex creatis rebus desumi possit exemplum, quo catholicorum doctrina explicetur. 3. Certe si, amotis philosophorum subtilitatibus, rem discutiamus, perspicuum esse videtur ad hominis constituendam personam hoc unum requiri, ut mens et corpus una jungantur, 4. alioquin dubitare semper liceret utrum nobis insit persona hominis, etsi animo praediti simus et corpore (a). 5. Quod si divina virtute fieri potuit, ut in Christo esset natura humana sine persona, atque in divini Verbi persona subsisteret, cur divina ejusdem omnipotentiae virtute fieri non potuit, ut in Christo persona humana cum divini Verbi persona substantialiter conjungeretur? Utrumque sane miraculum est, sed hoc posterius valde convenientius, tum quia tunc revera Christus esset perfectus Deus et homo perfectus; 6. tum quia mysterium rectissime explicaretur, simulque absurda omnia vitarentur, quibus catholicorum sententia urgetur, atque illud in primis, quod de una eademque persona enuncientur ea, quae inter se pugnant. 7. Quis demum neget personalitatem ad naturae nostrae dignitatem ac perfectionem spectare? Si eadem caruisset Christus, dignitate ac perfectione humanae naturae propria caruisset, quod nefas est dicere. Ergo.

R. Ad 1. D. Et ejusmodi notiones dogmati declarando quod in divina revelatione continetur atque fundatur accommodatae sunt, C. His notionibus philosophicis dogma catholicum innititur N. Hallucinatur itaque Bayle dum pro certo assumit dogma catholicum ab ejusmodi philosophicis notionibus pendere, cum contra certum sit nonnisi serius dogmati a Deo revelato ejusmodi notiones accommodatas esse. Quemadmodum enim ex revelatione scimus Deum unum ac simplicissimum esse ac simul in Deo esse Patrem, Filium et Spiritum Sanctum, ita ex eadem revelatione novimus unum eundemque esse Christum qui est Deus et homo. Haec semper professus est Ecclesia catholica a Deo edocta. Insurgentibus vero haereticis sabelianis, qui realem Patris et Filii et Spiritus Sancti distinctionem negarunt, coepit Patrem, Filium et Spiritum S. vocare hypostases seu personas; quod vero iisdem commune est, seu quod unum de Deo praedicatur vocavit naturam, analogia ducta ex iis quae de natura et personis philosophi de rebus naturalibus, praesertim humanis, disserentes tradebant. Sic cum novatores alii, quae in revelatione de uno eodemque

nes in Thesauro theolog. Zachariae tom IX. quarum altera ita inscribitur: « P. Gabrielis Danielis S. J. dissertatio de judicis criticorum et nuperi interpretis gallici super loco s. Chrysostomi ex hom. III. in epist. ad Hebr. ubi nonnullis nestorianis more loqui visus est; » altera vero: « De sententia B. Jo. Chrysost. quoad duas in Christo personas dissertatio Iguanii Teutscher e Soc. Jesu. »

(a) Ita quidem Bayle Dict. art. Pyrrhon, Rem. (B).

Christo diversa prædicantur, dispescerent, ut nestoriani; vel quæ eidem tribuuntur confunderent, ut eutyehiani, ecclesia ipsa se opponens, quod unum de Christo dicitur, vocavit *hypostasin*, *personam*, aut *suppositum*, quæ distincte de eo enunciantur, vocavit *naturas*. Metaphysici postea in ejusmodi voces et notiones subtilius et accuratius inquirentes theorias suas de natura, substantia, subsistentia, persona et supposito tradiderunt juxta id, quod christiana religio ex revelatione divina de Trinitate et Incarnatione jam docebat. Quare non religio christiana a philosophia, sed a religione accuratioribus suis theorias mutuata est philosophia (a).

Ad 2. Esto: frustra enim exemplum quaeritur ex iis, quæ in creaturarum rerum ambitu continentur cum agitur de eo quod creata omnia transcendit. Apposite hic quadrant, quæ scripsit s. Augustinus ep. CXXXVII. n. 8. ad Volusianum: « Si ratio quaeritur, non erit mirabile: si exemplum poscitur, non erit singulare; demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse. In talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis ».

Ad 3. N. Ut enim suo loco exposuimus ad personam constituendam requiritur præterea, ut sui juris natura sit, in se subsistat, neque cum alio veluti persona sive supposito conjungatur a qua regatur, seu requiritur ut habeat propriam subsistentiam, scilicet proprium existendi modum.

Ad 4. N. sequelam, nempe nos inde incertos esse an propriam, an vero alterius cujuscumque personam geramus: intimo enim sensu intelligimus nos in nobis subsistere, neque cum alia natura conjungi, quæ rationem personæ vindicet sibi ac nobis eripiat. Qua in re si falleremur, error certe refunderetur in Deum, qui non solum nos perpetuo decipi pateretur, sed invincibiliter nos in errorem impelleret, quod alienum maxime est a sapientia et bonitate divina.

Ad 5. R. I. Fides ab auctoritate pendet; hinc non quod nobis magis minusve consonum videtur, sed quod a Deo revelatum esse constat tenendum est. II. In adversariorum hypothesi tum Incarnationis mysterium tum redemptionis œconomia destrueretur, prout supra animadvertimus. III. Demum implicat ejusmodi hypothesis. Si quidem, ea constituta, idem simul esset et non esset. *Persona* enim dicit naturam in se subsistentem suique juris. Ergo qui affirmat duas personas esse inter se hypostatico nexu conjunctas, idem asserit duas naturas esse ab invicem independentes suique juris, et simul dependentes et alieni juris, quod manifeste contradictionem involvit. Tantum igitur abest ut in adversariorum systemate Deus perfectus et homo perfectus habeatur, aut mysterium rectius explicetur, ut utrumque potius penitus subruatur (b).

(a) Ex his patet tantum abesse ut religio scientiis noceat, ut potius eas perliciat; certe veteres philosophi nec suspicati quidem sunt distinctionem inter subsistentiam et naturam.

(b) Cf. Pet. lib. V. c. IX. præsertim § 4.

Ad 6. N. suppositum de absurdis quæ in doctrina catholica de Incarnatione adversarii inesse comminiscuntur; apprime enim semper omnia conciliata sunt. Profecto si pro diversis substantiis quibus homo constat recte de eo pronunciat quod sit spiritualis et immortalis secundum animam, materialis et mortalis secundum corpus, quæ sibi contradicentia dici nequeunt: quia licet de eodem, sub diverso tamen respectu enunciantur: sic recte de Christo dicitur quod sit æternus, impassibilis, immensus secundum divinitatem; creatus, passibilis, limitibus circumscriptus secundum humanitatem; mediator et redemptor secundum utramque.

Ad 7. D. Ceteris paribus, C. si a longe superiore ac perfectione suppleatur, ut in casu nostro N. Subsistentia enim in suo conceptu nil aliud dicit nisi existendi modum alicujus substantiæ. Etsi vero substantia fingi non possit in concreto, seu in rerum natura absque aliquo modo existendi, cum tamen hic modus varius ac multiplex esse possit, patet nullum peculiarem ac determinatum ei essentialem esse (a); potest propterea esse hic vel ille, proprius vel alienus, seu ei esse ab intrinseco, aut supervenire ab extrinseco. Porro quamvis naturalis existendi modus sit naturæ perfectio, longe nobilior hæc eadem evadet, si divina virtute existat natura modo naturæ excellentioris proprio ab eaque compleatur. Jam vero in mysterio Incarnationis divina omnipotentia factum est, ut humanæ naturæ in ipso ejus creationis instanti communicaretur modus existendi divinæ Verbi personæ proprius, ita ut cœperit illa existere in Verbo, ab eo compleri ac regi. Hinc ex illo instanti persona Verbi, quæ a tota æternitate subsistebat in sola natura divina, eam sub suo peculiari respectu complebat atque regebat, cœpit in tempore complere, regere ac moderari etiam naturam humanam, quæ facta est ei propria, utpote quæ in ea et per eam subsistat. Quis autem non videat longe perfectius esse, naturam humanam subsistere modo divinæ personæ proprio quam suo, regi a persona Verbi quam a sua, ab eaque dirigi et compleri? Quot inde decora ac perfectiones, quantam sublimitatem consecuta est? Hæc admirari quidem, at assequi mente non possumus. Ergo Christus non solum perfectus homo est ratione integræ naturæ humanæ, sed perfectissimus plane ratione personalitatis, seu subsistentiæ divinæ qua existit, completur et regitur.

IV. Obj. 1. Quamquam negari nequit scripturarum effatis ad litteram intellectis semina quædam doctrinæ ecclesiasticæ (nempe *catholicæ*) vere inesse, et unione naturarum in Christo posita, facillime communicationem etiam idiomatum inde deduci potuisse; attamen universa hæc doctrina qualis a theologis per tot discrimina rerum sensim stabilita est, nullius est frugis ad veram virtutem consequendam; 2. imo ex-

(a) Nempe in creatis. In Deo enim proprietates personales determinatæ omnino ac essentialis sunt, ideoque necessariae.

empli Jesu Christi ad imitandum nobis propositi vim quam maxime debilitat; 3. præterea repugnat et sanæ rationi, et aliis quibusdam scripturæ sacræ effatis certissimis, quibus monotheismus commendatur; 4. quam ob rem integræ christianorum familiæ et singuli multi, recentioribus præsertim temporibus, ab ea deflexerunt. 5. Subsistamus igitur in simpliciore illo doctrinæ typo, qui in ipsa scriptura sacra nobis exhibitus est; atque hoc potissimum agamus, ut Jesum Christum pia mente colamus tanquam legatum vere divinum (Jo. XVII. 5.) per quem tot ac tanta beneficia in genus humanum collata sunt, qui vere divinæ voluntatis interpres regni divini conditor est et ipse plenus numine (*τὸ θεῶν*), non sine Deo talis tantusque nobis propositus (a).

R. Ad 1. Id est quamquam doctrina catholica in scripturis contineatur (cum enim fatentur rationalistæ ejusmodi doctrinæ semina vere inesse, argumento est indubio reipsa in scripturis eam reperiri), juxta adversarios rejici tamen debet ut inutilis, pernicioza, ac rectæ rationi contraria. Talis est idea quam de saceris scripturis ingerunt novi ejusmodi increduli biblico velamine obducti. Ast falsum est doctrinam catholicam de Incarnatione nullius frugis esse ad consequendam virtutem. Validiores enim stimuli addi non possunt ad virtutem consequendam, iis quos dogma catholicum suppeditat, quo docemur peccata nostra Dei hominis facti sanguine esse expiata, ac Deum ipsum humana carne indutum nobis magistrum ac morum institutorem extitisse, prout colligit Apostolus Hebr. X. 29 et XII. 2. 5.

Ad 2. N. Quin potius vehementer exempli Jesu Christi vim promovet catholicum dogma juxta quod, cum Christus « Esset Filius Dei », didicit ex iis, quæ passus est, obedientiam: et consummatus, factus est obtemperantibus sibi causa salutis æternæ... qui propositus sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta » (b). Cum scilicet esset Deus et Filius Dei ultro ac sponte sibi vitam pauperem, ærumnis, contemptui doloribusque obnoxiam atque refertam eligere dignatus est mortemque denique atrocissimam obire, ut nobis in se exemplar virtutum omnium absolutissimum præberet, quod imitemur; ut præteream gratias ubertuosissimas quas nobis passione ac morte sua promeruit ad id efficiendum. Profecto omnes scriptores sacri, ut vidimus suo loco, atque in primis Joannes (fatentibus adversariis) Christi divinitatem unanimiter prædicarunt, attamen ad unum omnes Christi exemplum sequendum proponunt. Argumento igitur est dogma catholicum, nedum vim exempli Christi nobis propositi imminuat, ipsum potius commendare, atque ad ipsum imitandum vehementius accendere.

Ad 3. N. Nam satis non est affirmare, sed præterea ostendere adversarii deberent doctrinam catholicam rectæ rationi adversari, quod profecto numquam ef-

ficere poterunt. Recolantur modo dicta in Resp. ad 7. Scripturarum insuper effatis, quibus monotheismus adstruitur, non adversari neque Trinitatis neque Incarnationis dogmata ex iis, quæ suo loco disseruimus abunde constat (a).

Ad 4. D. Id est sociniani, deistæ ac rationalistæ, C., qui adhuc revelationi credunt, N.

Ad 5. N. suppositum de hoc simpliciore doctrinæ typo, qui non in scripturis sed in sola rationalistarum seu incredulorum mente residet; quo semel constituto Christus non extitisset nisi vaferrimus veterator, qui non solum nulla bona in genus humanum contulisset, sed innumera mala, deceptionem, idololatriam, superstitionem abjectissimam invenisset. Nec aliam sane Salvatoris nostri, sub verborum lenocinio, ejusmodi scriptores ideam seu conceptum ingerunt: ea pauca Auctoris quem impugnamus verba: « Quum adstantibus vere expirasse (in cruce) visus, paucis horis post, e cruce sublatus et sedulæ amicorum curæ traditus in novo sepulcro repositus esset: tamen, Deo providente, tertio die in vitam rediit, et postquam discipulos aliquoties convenerat, eosque de consilio suo, novum religionis institutum condendi atque propagandi de novo certiores fecerat, ab iis recessit, nec unquam postea ab illis conspectus est (b). » Ex ungue leonem.

PROPOSITIO II. — *Beata Virgo vere et proprie Deipara vocatur et est.*

Propositio hæc est de fide; ex concilio œcumenico constantinopolitano II. coll. VIII. anathematismo VI. definita quod B. Virgo « Proprie et veraciter Dei Genitrix est (c). » Sic vero ejus veritatem propugnamus: illa vere et proprie mater Dei vocatur et est, quæ licet divinitatem minime genuerit, illum tamen concepit et peperit qui ex sacris litteris Deus et Filius Dei vocatur et est: atqui talis est, quem genuit B. Virgo. Etenim Luc. I. 35. dicitur: « Quod nascetur ex te Sanctum vocabitur Filius Dei »; Apostolus item Rom. IX. 5. « Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula, » tum Gal. IV. 4. « Misit Deus Filium suum factum ex muliere. » Huc pariter referuntur omnia illa scripturarum loca in quibus Christus Deus et Filius Dei dicitur, quæ innumera prope sunt (d).

Atque hinc factum est ut a remotissima antiquitate,

(a) Tract. de Trinit. prop. IV. pag. 534.

(b) § 121. ubi et illud addit « Jesum nonnullis V. T. effatis potissimum adductum firmissime sibi persuasisse sibi concessam messianam dignitatem, ac munus doctoris divini a Deo fuisse demandatum, et quidem ad sensum æqualem suorum accommodatæ; seu paucis: eum traducit uti vaferrimum seductorem. Profecto est nova ars, uti scripturis ad christianam religionem destruendam.

(c) Ubi illud subdit conc. « Si quis abusive sed non vere Dei genitricem dicit sanctam gloriosam semper Virginem Mariam... anath. sit. » In Act. Conc. Harduni t. III. col. 195.

(d) Cf. Petav. l. V. c. XVII.

(a) Ita Wegsch. § 128.

(b) Hebr. V. 8. 9 et XII. 2.